

scriptum, sed tantum declarat illicitam, cum non imponat formam necessario observandam, sed tantum tradat instructionem, ut docent supracitati doctores arg. leg. A. D. Pio. § *In vindicatione*, ff. *De re judicata*; ubi statuitur modus observandus in quavis executione faciendâ, hanc pariter admittente interpretationem, ut executio aliter facta non subiaceat nullitati. Sic expresse Barbosa ad concil. *Trident.*, loco citat., et cit. allegat. 96, n. 39, cum plurimis ibi cit.

(61. Si tandem, adhibitis omnibus supradictis mediis, etiam censuris, adhuc reuatur cum tali nubere, non potest finaliter cogi ad nubendum, sed debet dimitti et absolvi, præsertim si advertatur magna animorum aversio, ita ut ex tali futuro matrimonio forent timendæ perpetuæ inimicitiae, jurgia, scandala, verbera, mutilationes, et alia similia gravia incommoda. Sic Rota, part. iv, recentior., tom. III, decis. 651, n. 10 et 11, part. xv, decis. 145, n. 6, ubi n. 7, subjungit, nec posse damnari ad pœnam pecuniariam seu conventionalem; ne quis pœnarum metu cogatur ad matrimonium, in quo omnimoda libertas consensus esse debet, ut prosequitur *ibidem*, num. 8. Et sic Glossa final. in cap. *Peruenit 2*, De adulteriis; Joannes Andreas, in cap. *Ex litteris 10*, De sponsalibus, n. 12, et ibi Ancharanus, n. 5; Covarruvias, *De sponsalibus*, part. i, cap. 4, n. 3 et seq.; Guttierrez, *De jurament.*, part. i, cap. 51, num. 4; Sanchez, lib. i, *De sponsalibus*, disp. 29, n. 7 et 8; Gobat, tom. I, tract. 10, n. 127 et seq., cum aliis ibi citatis, Sporer, loco cit., n. 421, cum aliis ibi allegatis; Reiffenstuel, loco cit., n. 163, et ipso teste, *Communis aliorum*, arg. capit. *Requisivit 17*, De sponsalibus, ubi Lucius III Papa sic expresse respondet: « *Requisivit a Nobis Tua Fraternalitas qua censura mulier compelli debeat, quæ jurisjurandi religione neglecta, nubere renuit, cui se nupturam interposita juramento firmavit? Ad quod breviter respondemus quod, cum libera debeant esse matrimonia, monenda est potius quam cogenda, cum coactiones difficiles soleant exitus frequenter habere;» quod intelligi debet de finali et nimia coactione, juxta dicta supra et cit. cap. *Ex litteris 10*, De sponsalibus, ubi censuris compelli jubetur renuens nubere, « nisi rationabilis causa obstiterit. » Revera autem videtur obstare rationabilis causa non compellendi ipsam censuris ad sic nubendum, cum judex ex circumstantiis prudenter colligere possit præfatam animi aversionem, ex qua indubitanter oritura forent tot ingentia dicta mala et gravia incommoda, arg. cap. *Principatus 23*, caus. 1, q. 1, ubi ex verbis S. Leonis Papæ expresse dicitur: « *Difficile est, ut bono peragantur exitu quæ malo sunt inchoata principio,* » adeoque, etc.*

(62. Nec quid novi induxit circa id concilium Tridentin. sed in robore reliquit dispositionem juris canonici in cit. cap. *Requisivit 17*, De sponsalibus, de non cogendo

finaliter ad nubendum talem renuentem nubere, ut habetur ex sequenti declaratione sacr. congregat. Concilii relata ab Ursaya, tom. III, part. i, decision. 19, num. 216, his verbis:

« Hieracen., præsupposito quod matrimonium sit factum absque parochi præsentia, et duorum vel trium testium, quo casu irritum declaratur a *Tridentino* concilio, sess. xv *De reformatione matrimonii*, cap. 1, vers. *Qui aliter*; Quæritur:

« An dictum matrimonium transeat in sponsalia de futuro, ita ut cogi possit vir per censuras, aliaque juris remedia ad servandam fidem sponsæ, quando maxime secuta sit copula?

« Et an si fuerint secularis promissiones, et data fides de contrahendo matrimonium per verba de futuro, possit cogi volens contrahere ad contrahendum per verba de præsentia cum solemnitatibus sacri concilii, cum jure canonico videatur contrarium decisum ex cap. *Requisivit*, De sponsalibus.

« Die. Novembris 1589. Quoad primum S. C. censuit non transire. Quoad secundum de cogendis contrahentibus ad observanda sponsalia, nihil novi induxisse concilium *Trident.* A. card. Caraffa. » Lib. vi *Decretor.*, fol. 62.

Et abstinendum esse a coactione reluctantis sponsi, vel sponsæ, et permittendas nuptias cum alia, seu alio censuit sacr. congregat. Concil., in *Senogallien. Sponsalium 1* Septemb. 1714, in *Majoricen. Sponsalium 24* Aprilis 1724, in *Mediolanen. Salernitanen. Sponsalium 18* Julii 1725, in *Neapolitana 17* April. 1728, et in *Gallipolitana Sponsalium 28* Februarii 1773, apud *Thesaurum resolution. sacræ congreg. Concilii in dict. Gallipolitana* tom. VI. Nec etiam cogenda sunt effectuari sponsalia inter consanguineos seu affines inita sub conditione Apostolicæ dispensationis obtinendæ; ipsa enim declarata fuerunt irrita et invalida a sacra congregatione Concilii in *Brugnaten. Sponsalium 26* Januar. 1709, et in *Januen. Sponsalium 12* Decembr. 1733, apud dict. *Thesaurum* tom. VI.

(63. Unde recusantem matrimonium contrahere post sponsalia, posse quidem moneri, et juxta sacrorum canonum præscripta compelli comminatione censurarum, non autem posse præcise cogi, propugnat Rota, part. iv recentior., tom. III, dec. 656, n. 10 et 11, part. xvi, dec. 142, n. 6, et potissimum ubi adsit aliqua justa causa resiliendi a sponsalibus: quo casu judex potest quidem monere ut ad effectuationem matrimonii deveniat, non autem potest cogere, neque per censuras, et præsertim si timeatur, quod censuræ sperni possint, vel quod per matrimonium coacte initum gravius malum oriri possit. Rota, part. x, rec. decis. 19, n. 3 et 44, part. xiv, decis. 185, n. 5. (64. In tali enim casu potest judex omnino abstinere a censuris, si prudenter prævideat quod illæ nihil efficient, ut prævidere potest si animi aversio nimia dignoscatur. Sic Covarruv., *De sponsalibus*, part. i, cap. 4, § 1, n. 5;

Sanchez, loco cit., n. 4 et 7, cum pluribus aliis ibi allegatis; Reiffenstuel, loco cit., n. 164; Gobat, loco cit., num. 128, et plures alii.

(65. Et in casu quo talis renuens matrimonium effecturare fuerit ob id excommunicatus, tunc judex ecclesiasticus non solum sponsum petentem absolutionem absolvere potest, postquam diu stetit excommunicatione innodatus, sed eundem etiam non petentem absolvere tenetur: in simili enim casu æque pia ac laudabilis praxis Ecclesiæ est talem excommunicatum etiam non petentem, imo invitum absolvere, « sponsoque primævam libertatem restituere, » juxta præcisa verba Rotæ, et ad terminos auctoritatum allegatarum in *Comen. Sponsalium 10* Junii 1705, § *Concurrente, coram Molin.* Sic refert et tenet expresse Ursaya, tom. II, part. i, discept. 21, n. 244, et tom. III, part. i, discept. 19, n. 252, et sic tenet cum pluribus aliis Gobat, loco cit. num. 128 et 129. * De hoc tamen vide distinctionem allatam infra *novæ additiones ex aliena manu*, quæ omnino necessaria est *.

(66. Tempus autem, quod decurrere debet, antequam talis renuens excommunicatus absolvatur, regulariter solet esse illud unius anni, ne postea efficiatur de hæresi suspectus, juxta disposita in concil. *Tridentin.*, sess. xxiii, cap. 3, cum concordant apud Menoch., *De arbitrar.*, cas. 416, num. 55. Verum tamen est, quod ex particularibus facti circumstantiis Rota, in decis. 242, num. 13, *coram Duran.*, censuit esse xvi mensium, et in *Majoricen. Censurarum 15* Januarii, 1515, § *Longum, coram card. Scotto*, censuit esse spatium xvii mensium. Sic Ursaya, tom. III, part. i, citat. discept. 19, num. 254.

(67. Nec in tali casu poterit licite sponsa adhuc urgere negationem talis absolutionis a censura, ut recte docet Gobat, loco cit., num. 120, ubi insuper dicit cum Perez, disp. 11, sect. 1, num. 4, quod quando est clarum periculum supradictorum gravium malorum emergens ex horrore quem sponsus habet adversus sponsam, tunc sponsalium etiam juratorum obligatio hoc ipso cesset, arg. cit. cap. *Ex litteris 40*, De sponsalibus, ibi: « *Nisi rationabilis causa obstiterit,* » et cit. cap. *Requisivit 17*, eod. ibi: « *Cum libera debeant esse matrimonia, monenda est potius, quam cogenda, cum coactiones difficiles soleant exitus frequenter habere.* »

(68. Quamvis autem dicta sponsa non possit in tali casu licite adhuc negationem talis absolutionis urgere, potest tamen licite jure exigere compensationem omnium damnorum emergentium ex hac dissolutione, ut tradunt communiter doctores et expresse Rota, in *Majoricen. Censurarum 15* Januarii 1715, § final. *coram card. Scotto*, ubi eo tempore, quo demandavit absolutionem sponsi renuentis effecturare sponsalia, adjecit modum, qui fuit refectionis omnium expensarum in causa facti, cum reservatione jurium respectu mulieris in congruo judicio petendi

dolem, quatenus illa de jure deberetur eidem mulieri.

(69. An autem pars innocens, etiamsi nullum damnum patiat, possit ab altera parte sine legitima causa a sponsalibus recedente, exigere pœnam conventam; seu an sit licitum et validum in sponsalibus apponere pœnam solvendam ab illo, qui ab eis injuste resilit? Variant doctores. Negant enim id fieri posse S. Thomas, in 4, dist. 27, qu. 2, art. 3 ad 4, sic expresse dicens: « *Quandoque autem apponitur conditio pecuniæ per modum pœnæ, et tunc, quia matrimonia debent esse libera, talis conditio non stat, nec potest exigi pœna illa ab eo qui non vult matrimonium complere;* » Rota part. xv, recent. dec. 142, n. 7 et 8; S. Antoninus, part. iii, *Summ. theol.*, tit. 1, cap. 18; Tamburin., lib. viii *De matrimon.*, tract. 3, § 3; Tannerus, tom. IV, disp. 8, qu. 1, n. 44; Dicast., disp. 1, dub. 26, n. 36; Beja, part. i, cas. 1; Onnate, *De contractibus*, disput. 34, n. 15; Tancredus, lib. i, dist. 30, n. 1; Kugler, part. i, n. 42; Aversa, qu. 8, sect. 9; Sanchez, lib. i, disp. 30, n. 2, asserens sic omnes sentire secum; Pontas verb. *Sponsalia*, n. 56, asserens similes pœnales conventiones, aut pactiones nunquam tenere, nec in foro interiori, nec in exteriori, quamvis essent juramento firmatæ, cum non liceat jusjurandum servare præstitum ob rem legitimam ecclesiasticis vetitam nec efficiendam sine peccato saltem veniali, quod et tenet Sanchez, et Aversa loco citato, cum multis aliis. Et quidem stando in rigore juris tum civilis, tum canonici, videtur hæc sententia tenenda. Etenim in jure civili, l. *Titia 134*, ff. *De verborum obligationibus*, sic expresse habetur: « *Respondit ex stipulatione, quæ proponeretur, cum non secundum bonos mores interposita sit, agenti exceptionem doli mali obstaturam, quia inhonestum visum est vinculo pœnæ matrimonia obstringi, sive futura, sive jam contracta;* » et in l. *Mulier 5*, cod. *De sponsalibus* in fine, ita expresse statuitur: « *Extra definitionem hujus legis, si cautio pœnam stipulationis continens fuerit interposita, ex utraque parte nullas vires habebit, cum in contrahendis nuptiis libera potestas esse debeat;* » et in l. *Libera 2*, cod. *De inutilibus stipulationibus*, sic reperitur præcise sancitum: « *Libera matrimonia esse antiquitus placuit, ideoque pacta, ne liceret divertere, non valere, et stipulationes, quibus pœnæ irrogantur ei, qui, quæve divortium fecisset, ratas non haberi constat;* » et in jure canonico cap. *Gemmas 29*, De sponsalibus et matrimonio, sic clare disponitur: « *Cum itaque libera matrimonia esse debeant, et ideo talis stipulatio propter pœnæ interpositionem sit merito improbanda, mandamus, quatenus si ita est, eundem B. ut ab extorsione prædictæ pœnæ desistat, ecclesiastica censura compellas.* »

(70. Nihilominus probabilius id fieri posse, nempe licite et valide apponi posse in sponsalibus pœnam solvendam ab eo, qui ab illis injuste recesserit, et talem conven-

tam pœnam obligare affirmant Gothofr., in cit. l. *Titia* 134, ff. *De verb. obligat.*, vers. *Quin inhonestum*; Barb., in citat. cap. *Gemmas* 29, De sponsal. n. 89; Engel, lib. iv *Decret.*, tit. 1, § 2, n. 7; Reiffenstuel, *ibid.*, a n. 187; Layman, lib. v, tract. 10, part. II, cap. 1, n. 9; Henno, tom. II, tract. *De matrimon.*, disp. 1, quæst. 9, conclus. 2; Bosco, in *Theol. sacramental.*, disp. 11, *De matrimon.*, sect. 1, conclus. 11; Basilius Pontius, *De matrimon.*, lib. XII, cap. 19, n. 8; Coninch, disp. 22, dub. 5; Diana part. III, tract. 4, resolut. 211; Suarez, tom. II, *De relig.*, lib. II *De juram.*, cap. 23 n. 5; Vasquez, *Opuscul. de testament.* c. 3, n. 28. Castropal., *De sponsalibus*, disp. 1, punct. 9, n. 3; Gobat., tract. 10, cas. 4, a n. 172; Perez, *De matrimon.*, disp. 7, sect. 1, n. 6; Delbene, capit. 8, disp. 19, sect. 4; Haunold., *De justitia*, tom. I, tract. 4, a n. 362; Molina, Lessius, La Croix, lib. v, part. III, n. 148, cum pluribus aliis ibi citatis, et valde probabile censet Pirrhing lib. IV, tit. sect. 1, n. 23, vers. *Extendunt*, et plures alii.

(71. Et ratio est, quia tales pœnales conventiones nec sunt contra jus naturale, nec contra jus positivum, adeoque validæ sunt, et licitæ. Quod non sint contra jus naturale concedunt omnes, etiam ipsimet adversarii, cum ipsimet Deus injuste resiliendi apponat pœnam damnationis æternæ, ut patet *supra* n. 48, et Ecclesia pœnam pecuniariam, carceris et excommunicationis, ut patet *supra* n. 56 et 57, quod non facerent, si appositio pœnæ solvendæ ab injuste resiliente esset contra jus naturale.

(72. Quod autem tales conventiones pœnales non sint contra jus positivum, tum civile, tum canonicum, clare patet, quia in tantum in allatis juribus reprobantur tales pœnales conventiones, in quantum per ipsas læderetur libertas ad matrimonium requisita, prout fatentur etiam ipsimet adversarii, eo quod hanc rationem allegent omnia *supra citata jura*. Atqui tales conventiones pœnales non lædunt libertatem ad matrimonium requisitam: ergo, etc. Probatur minor: libertas ad matrimonium requisita non tollitur per graviores pœnas, nempe per pœnas corporis afflictivas, per carceres, per excommunicationem, per pœnam damnationis æternæ, sub quibus a Deo et Ecclesia compelluntur sponsi ad non resiliendum injuste, et sine legitima causa a promisso matrimonio; ergo neque libertas requisita ad matrimonium tollitur per dictam pœnam conventionalem omnibus supradictis longe minorem, arg. l. 22, ff. *De adult.* Quod autem pœna æterna gravior et major sit pœna temporali de se patet, et quod corporalis gravior, et major sit pecuniaria, clare constat, arg. leg. *In servorum*, § fin. *De pœnis*, et quod excommunicatio sit gravior et major pœna, quæ in Ecclesia dari possit, habetur expresse in can. *Corripiantur* 17, caus. 24, qu. 3, ibi: « Quia pœna in Ecclesia nulla major est. »

(73. Tum quia posset negari suppositum, quod per dictam conventionem pœnalem

tollatur libertas, cum, contractis rite sponsalibus, nulla pars libertatem amplius habeat resiliendi injuste, et sine legitima causa a dictis sponsalibus, arg. cap. *Ex litteris* 10, De sponsalibus, ibi: « Si non acquieverit monitis, ecclesiasticis censuris compellas, ut ipsam (nisi rationabilis causa obliterit) in uxorem recipiat. » Quia, ut omnes etiam ipsimet adversarii concedunt, sponsalia rite contracta obligant sub mortali, adeoque sub pœna æterna ad promissum matrimonium effectuum, sicque libertatem adimunt sponsis injuste, et sine legitima causa resiliendi, eisque necessitatem moralem effectuum dictum promissum matrimonium imponunt, et consequenter libertas moralis non datur ad resiliendum sine causa. Quod enim est inhonestum, hoc secundum leges est impossibile, quia de jure illud tantum possibile et fieri posse censetur, quod licite fieri potest; can. *Fraternitatis* 15, caus. 22, q. 2, juncta Glossa, *ibid.*, verb. *Quod potest*: hinc allegata jura ab adversariis prohibent quidem pœnales conventiones tollentes libertatem ad resiliendum juste, et cum legitima causa, quod et nos ultro concedimus. At non prohibent pœnales conventiones ad non resiliendum injuste et sine legitima causa, cum ad injuste resiliendum, contractis rite sponsalibus, moralem libertatem nulla pars amplius habeat: sicque talia jura permittunt fieri conventiones pœnales ad non resiliendum injuste, et sine legitima causa, quæ est nostra conclusio.

(74. Tum etiam quia valide et licite apponi posse pœnam, ne quis injuste a sponsalibus resiliat, dictamque pœnam ab injuste resiliente posse licite exigi a parte innocente, et debere solvi a parte rea injuste resiliente, conceditur expresse et statuitur in constitut. seu novella 18 Leonis imperatoris: *ut in sponsalibus constituta pœna exigatur*, vere digna, ut integra legatur; unde cum ibi habeatur tam clare et explicite dicta dispositio, cessat penitus ratio dubitandi de jure civili. Imo etiam de jure canonico, quia, ubi casus vel materia in jure canonico obscure disponitur, uti in præsentem (cum in cit. cap. *Gemmas* 29, De sponsalibus, sermo sit de sponsalibus inter pueros ante septennium contractis per parentes, uti patet ex textu, et fatentur omnes cum Sanchez, *loc. cit.*, n. 3, a quibus utpote invalidis non licet argumentari ad sponsalia ab adultis valide contracta); in jure autem civili habetur de tali casu vel materia, clara dispositio (uti in præsentem, cum citata constitutio, seu novella 18 Leonis imperatoris contineat ad rem clarissimam, et expressissimam dispositionem), etiam in foro canonico causa decidi debet juxta jus civile, arg. cap. *Intelleximus* 1, De novi operis nuntiatione, ubi Summus Pontifex Lucius III sic expresse pronuntiat: « Sicut leges non dedignantur sacros canones imitari, ita et sacrorum statuta canonum principum constitutionibus adjuvantur. » Ubi Glossa, verb. *Adjuvantur*, notabiliter infert: « Et ita in

causa ecclesiastica leges possumus allegare, ut, etiam si canones deficiant, possit judicari secundum leges, » et Abbas, *ibidem*, n. 3, merito concludit, quod « causa Ecclesiæ debet decidi per jus civile in defectum canonum; omnes enim leges principum non contradicentes canonibus sunt approbatæ per Ecclesiam, ut patet hic. » * Confer Antoine, *De matrimonio*, cap. 1, quæst. 5, n. 9, et addit. ad Cuniliati tract. 14, *De sacram. in particul.*, cap. 7, § 1, num. 9.

(75. An et quando resiliens a sponsalibus amittant arrhas. Vide verb. *Arrha* *. Olim renuente sponso, arrha cedebat lucro sponsæ; l. 3, cod. *De spons.*; sed si mulier renuebat, cogebatur restituere arrham cum quadrupli pœna. L. un. *Cod. Theod. si nupt. ex rescript. pet.* l. 6, cod. eod., *De sponsal.*, l. unic. cod. eod., si recte prov. spons. et cum pater sponsæ arrhas suscipiebat, eidem pœnæ se obligabat l. 6, cod. eod., *De spons.* Ex posterioribus vero constitutionibus, justis concurrentibus causis renuendi, arrham tenetur sponsa restituere l. 5, § 1, cod. *De spons.*, l. 16, cod. *De episc. aud.* l. 56, cod. *De episc. et cler.* *

(76. Sponsalia rite contracta variis justis de causis dissolvi possunt. Primo sponsalia puberum, etiam jurata, valide et licite dissolvi possunt mutuo consensu. *Communis*, per text. in cap. *Præterea* 2, De sponsalibus, juncto ejus Summario, in quo expresse sic habetur: « Sponsalia de futuro dissolvuntur, si sponsi se dissolvunt, etiam si fuerint jurata. » Et ratio est, quia ut dicitur cap. *Omnis res* 1, De reg. juris in 6: « Omnis res per quascunque causas nascitur, per easdem dissolvitur, » et concordat lex *Nihil* 35, ff. *De regul. jur.*, ibi: « Nihil tam naturale est, quam eo genere quidquam dissolvi, quo colligatum est, » cum similibus.

(77. Secundo, dissolvi possunt sponsalia per recessum unius a sponsalibus; recedente enim una parte a sponsalibus, sive juste sive injuste, etiam altera pars recedere potest. *Communis*. Et quidem si una pars juste recedat, jam hoc ipso solvit sponsalia et altera pars libera manet; si autem injuste recedat, procedit illud vulgatum: « Frangenti fidem, fides frangatur eidem, » arg. l. *Qui fidem* 16, de transactionibus. et cap. *Frustra* 75, De regul. juris in 6, ibi: « Frustra sibi fidem quis postulat ab eo servari, cui fidem a se præstitam servare recusat. »

(78. Quando tamen una pars injuste recedit, non tenetur altera pars recedere, sed potest injuste recedentem tenere sibi obligatum, ita ut hic teneatur eidem volenti adhuc nubere. *Communis*. Et ratio est, quia peccata suos debent tenere auctores, l. *Sancimus* 22, cod. *De pœnis*, cap. *Quæsit* 2, De his, quæ fiunt a majori parte capituli. Et rem, quæ culpa caret, in damnum vocari non convenit, cap. *Cognoscentes* 2, De constit. Nec debet aliquis alterius odio prægravari, cap. *Non debet* 22, De regul. jur. in 6, l. *Non debet* 74, ff. *De regul. jur.* Et

nemo ex suo delicto meliorem suam conditionem facere potest, l. *Non fraudantur* 134, § 1, ff. *De reg. jur.*, « ne videatur de sua malitia commodum reportare, » cap. *Intelleximus* 7, De judiciis.

(79. Tertio, dissolvuntur sponsalia, si unus sponsorum sine licentia alterius longius discedit animo non redeundi, seu sine spe brevi redeundi, tunc enim altera pars ad alia vota transire libere potest: *Communis*, textu expresse in cap. *De illis* 5, De sponsalibus, ibi: « De illis autem, qui præstito juramento, promittunt, se aliquas mulieres ducturos, et postea eis incognitis, dimittunt terram, se ad partes alias transferentes, hoc tibi volumus innotescere, quod liberum erit mulieribus ipsis, si non amplius in facto est processum, ad alia se vota transferre: » juncto ejus Summario sic dicente: « Si sponsus de futuro ante copulam ad remota se transfert, sponsa libere cum alio contrahit. »

(80. Nec obstant leges civiles, ut l. *Si is qui* 2, cod. *De sponsalibus*, ubi statuitur, sponsum absentem intra eandem provinciam biennio esse expectandum. l. *Liberrimum est* 2, cod. *De repudiis*, ubi sancitur esse triennio expectandum, si extra provinciam absit, l. *Sæpe juste* 17, ff. *De sponsalibus*, ubi decernitur triennio, quadriennio, et ulterius esse expectandum, si unus ex sponsis ob aliquam causam necessariam absit. Non obstant, inquam, quia præfatæ leges correctæ fuerunt a jure canonico cit. cap. *De illis* 5, De sponsalibus; cui juri canonico absolute standum esse in utroque foro, quando sponsus alio se confert ex voluntaria, justa quidem, sed non necessaria causa, docent Henriquez, Rodriguez, aliique citatis, Sanchez, lib. I *De matrimon.*, disp. 54, num. 5, Tamburin, *loc. cit.*, c. 1, num. 9, apud Sporer, *loc. cit.*, num. 244, et minime attendendas esse prædictas leges in nostro casu, quando scilicet unus sponsorum sine licentia alterius longius discedit animo non redeundi, seu sine spe brevi redeundi, docet cum aliis Reiffenstuel, *loc. cit.* num. 215. (81. Quamvis tamen plures doctores, ut Silvester, Canisius, Layman, *loc. cit.*, num. 14, Glossa, et alii apud ipsos dicant, prædictas leges non esse a jure canonico correctas in casu, quo sponsus ex causa necessaria seu voluntaria, justa tamen, et utili, v. g. ob bellum justum, ob studia, ob negotiationem et hujusmodi diutius abest, deinceps reversurus, et in similibus casibus sponsam debere expectare saltem tantum temporis, quantum constituet judex ecclesiasticus illud moderando ad breviorum terminum, et significando sponso, intra quem teneatur redire, alioquin sponsam liberam fore; quæ opinio est probabilissima, et mihi videtur in praxi sequenda, cum sic concilietur jus civile cum canonico, nec sit contra nostram conclusionem sub num. 75; nam ipsa loquitur de casu, quo unus sponsorum sine licentia alterius longius discedit animo non redeundi, seu sine spe brevi redeundi: hinc in casu,

quo deinceps reversurus absit ob aliquam supradictam necessariam, seu voluntariam, justam tamen et utilem causam; tunc sponsa revera expectare debere aliquanto tempore iudicis arbitrio, consideratis occurrentibus circumstantiis, significando interim sponso intra quod tempus redire teneatur, alioquin ipsam sponsam liberam fore, ut jam dictum est; et sic in praxi observari asserit Sporer, *loc. cit.*, num. 244. Et sic si sponsus sit in loco propinquo, quod requiri et admoneri debeat, ut intra certum tempus nubat, docet Sanchez, *loc. cit.*, num. 11, Reiffenstuel, *loc. cit.*, num. 215, et alii passim.

(82. Quarto, sponsalia dissolvuntur per dilationem nimiam matrimonii ultra tempus, vel terminum præfixum ad finiendam obligationem; qui enim differt inire matrimonium ultra tempus, vel terminum in sponsalibus sic præfixum, censetur a sponsalibus resilire, sic, ut altera pars etiam juste resilire, et ad alia vota se transferre possit. *Communis* per text. in cap. *Sicut* 22, De sponsalibus. Et leg. *Fidejussor* 29, § final. ff. *Mandati*; et ratio clara est, quia, ut habetur in cap. *Contractus* 85, De regulis juris in 6, « Contractus ex conventionem legem accipere dignoscuntur, » et concordat l. *Contractus* 23, ff. *De regul. juris*.

(83. Si autem dilatio fiat ultra tempus, vel terminum præfixum, non ad definiendam, sed tantum ad differendam, seu ad exsequendam obligationem contrahendi matrimonium, ita ut usque ad illud tempus, verb. grat. usque ad Pascha, nulla pars obligetur, sed solum incipiat obligatio post illud tempus, tunc nequeunt dissolvi sponsalia ex eo, quod intra illud terminum matrimonium non sit effectuatum, sed manet adhuc obligatio illud effectuatam. *Communis*, argum. leg. *Continuus* 137, § 2, ff. *De verbor. obligat.*, et l. *Celsus* 23, ff. *De recept. qui arbitrium receperunt*. Et ratio est, quia cum tempus est præfixum, non ad finiendam, sed tantum ad differendam, seu exsequendam obligationem contrahendi matrimonium, duplex consurgit obligatio: prima matrimonium contrahendi; secunda tali tempore contrahendi: unde licet hæc secunda obligatio violetur, et ob eam violationem altera pars juste resiliat, manet tamen prior obligatio absoluta, et principalis, scilicet matrimonium contrahendi si altera pars adhuc velit.

(84. Si vero nullum certum tempus præfixum sit ad matrimonium contrahendum, discurrendum est sicuti *supra* num. 53.

(85. Quinto, sponsalia dissolvuntur per ingressum in religionem professione secuta: *Communissima*; per professionem enim religiosam solvitur etiam ipsum matrimonium ratum, cap. *Ex publico* 7, De convers. conjug. adeoque multo magis sponsalia de futuro.

(86. Per solum etiam ingressum in religionem, licet professione nondum secuta, dissolvuntur sponsalia ex parte illius qui in sæculo remanet, ita ut is a promissione sit liber, et si velit, ad alia vota se transferre possit. Sic Innocentius, in cap.

Veniens, Qui clerici, vel voventes, et ibi Ancharan., num. 1; Joan. Andr., num. 2; Sanchez, lib. 1, disp. 42, num. 2; Layman, lib. v, tract. 10, part. 1, cap. 2, num. 3; Sporer, *loc. cit.*, num. 247, cum Soto, Navarr. Henriquez, Rodriguez, Coninch., Tamburinus, et aliis ibi citatis; Reiffenstuel, *loco citato*, num. 226, testans de communi aliorum contra Durandum, et alios apud Sanchez, *loc. cit.* Et ratio est, quia illa pars, quæ religionem ingreditur, ipso facto significat se mutasse voluntatem, et sponsalibus, ac juri suo renuntiasset, adeoque relinquit alteram partem liberam; tum quia per ingressum in religionem fit notabilis mutatio ex parte ingredientis; per notabilem autem mutationem ex parte unius solvuntur sponsalia, et tollitur obligatio ex parte alterius; arg. cap. *Quemadmodum* 25, De jurejurando, et cap. *Per vestras* 7, De donation. inter virum et uxorem.

(87. Per solum autem ingressum in religionem, professione non secuta, non dissolvuntur sponsalia ex parte ingredientis, sed manet adhuc obligatio ex parte ipsius, ita ut si remanens in sæculo velit expectare, et adhuc eum habere velit, teneatur eam ducere, si, non secuta professione, a religione egrediatur: Engel. lib. iv *Decretal.*, tit. 1, § 3, num. 7; Pirrhing, *ibid.*, num. 50; Reiffenstuel, *ibid.*, num. 227; Sporer, *loc. cit.*, num. 248; Layman, *loc. citat.*, et alii communiter contra Sanchez lib. 1, disp. 42, num. 4, dicentem etiam ex parte ingredientis dissolvi sponsalia, saltem si bona fide ingrediatur; et ratio nostra est, quia solus ingressus in religionem, non secuta professione, nec ex natura sua, nec ex jure aliquo positivo solvit sponsalia, adeoque, etc. Quod enim ex natura sua non solvat sponsalia, clare patet, quia novitius egredi potest a religione, et sponsalia adimplere; quod autem ea non solvat ex jure aliquo positivo, constat ex eo quod nullum tale jus allegari possit; nam. cap. *Verum* 2, et cap. *Ex publico* 7, De conversione conjugatorum, cum similibus non loquuntur de ingressu, sed de sola professione, adeoque talis juris positivi dispositio facta de sola professione non debet extendi ad simplicem ingressum sine professione, quia cum sit odiosa, utpote in præjudicium alterius vertens, restringi potius quam extendi debet, argum. cap. *Odia* 15, De regul. juris in 6, ibi: « Odia restringi, et favores convenit ampliari. »

(88. Sexto, sponsalia dissolvuntur ex parte utriusque per susceptionem sacrorum ordinum. *Communis*. Et ratio est clara, quia per susceptionem sacrorum ordinum redditur impossibilis adimpletio sponsalium, cum ordines sacri ob solemne votum castitatis ipsis annexum reddant suscipientes incapaces matrimonii contrahendi, cap. *Presbyteris* 8, dist. 27, cap. *Ante* 1, cap. *Sacerdotibus* 2, dist. 31, cap. *Omnium* 1, cap. *Multorum* 2, cap. *De illo* 4, cap. *Si quis* 7, cap. *Subdiaconis* 9, dist. 30, et c. *Quod votum unice.* De voto, et voti redempt. in 6. Extravag. Joan. XXII, *Antique concertationi unice de*

voto, et voti redempt.; concil. *Tridentin.*, sess. xxiv, canon. 9, adeoque, etc.

(89. Non dissolvuntur tamen sponsalia per susceptionem ordinum minorum, saltem ex parte eos suscipientis. *Communis*. Et ratio est evidens, quia per susceptionem ordinum minorum non redditur impossibilis adimpletio sponsalium, cum ordines minores non repugnent cum matrimonio, sed promoti ad ipsos possint adhuc valide et licite nubere, adeoque sponsalia contracta tenentur, quantum est ex parte sua, adimplere: dicitur autem notanter saltem *ex parte eos suscipientis*, quia si sponsus, in scia vel invita sponsa, suscipiat ordines minores, probabilis solvuntur sponsalia ex parte ipsius sponsæ, ita ut hæc alteri prohibito nubere possit, ut contra Sanchez, lib. 1, disp. 47, n. 1, docent Gobat tract. 10, cas. 8, n. 321; Tannerus, *De sponsalibus*, disp. 8, tract. 4, qu. 1, n. 53; Sporer, *loc. cit.* n. 256; Reiffenstuel, *loc. cit.* n. 230, et alii. Et ratio est, quia tunc sponsus revera videtur remittere sponsæ jus suum in illam, cum suscipiendo ordines minores, censeatur velle etiam ascendere ad ordines majores, et sic statum assumere impossibilem cum matrimonio, per jura adducta *num. antec.* Tum quia videtur tunc fieri ex parte sponsi notabilis mutatio, ob quam communiter nollent puellæ contrahere cum illo quem scirent in clericum ordinandum, adeoque ob similem sponsi notabilem mutationem solvuntur sponsalia ex parte sponsæ. Argum. cap. *Quemadmodum* 25, De jurejurando, et cap. *Per vestras* 7, De donation. inter virum et uxorem.

(90. An autem etiam per votum ingrediendi religionem, aut suscipiendi ordines sacros, vel etiam per simplex votum castitatis dissolvantur sponsalia? variant doctores, et quidem quoad votum ingrediendi religionem, Layman, *loc. cit.*, num. 4; Gobat, *loc. cit.*, num. 314, et alii volunt ipsum dissolvere sponsalia ex parte utriusque, id est tam ex parte voventis, quam non voventis, quia, dicunt ipsi, promissio matrimonii tacite involvit conditionem seu exceptionem, « Nisi elegero statum perfectionem. » Castropal. autem, *De sponsalibus*, disp. 1, punct. 20, num. 4; Tamburinus, lib. II, num. 7; Sporer, *loc. citat.*, num. 252; Reiffenstuel, *loc. cit.*, num. 234; La Croix, lib. VI, part. III, num. 190, et plures alii probabiliter docent quod per tale votum religionis non illico dissolvantur sponsalia, sed solum suspendantur ex parte ipsius voventis; et ratio est, quia tale votum ante professionem secutam non constituit statum, sed relinquit potestatem adhuc implendi sponsalia: cum fieri possit, ut talis vovens religionem, nullibi suscipiatur; vel susceptus tempore novitatus, iterum egrediatur: in quo casu, cum cesset obligatio voti, subintrat obligatio servandi sponsalia, si altera pars in sæculo remanens adhuc sic velit, ut in simili jam dictum est *supra*, num. 83, de ingrediente religionem sine præcedente voto. Nec illa tacita condi-

tio, seu exceptio asserta ab adversariis intellecta in promissione matrimonii quidquam probat contra nostram conclusionem, quia talis conditio, seu exceptio intelligitur solum in ordine ad ipsum statum perfectionem religionis in effectu, et secuta professione, non autem in ordine ad solum ejus votum, vel actualem ingressum sine effectuatione professionis; tum quia tacita illa conditio seu exceptio inest solum votis, seu promissionibus Deo factis, non autem factis homini, alias enim posset quis cuncta promissa etiam jurata homini facta ex illa tacita conditione seu exceptione negligere, quod falsissimum est, ut late ostendit Castropalao tract. *De juramen.* Et hoc clare ostenditur exemplo: si quis enim vellet dare vel vovere Deo domum, seu vineam, aliamve rem, quam alteri jam serio promissit, et ad quam alter jus jam habet, id certo non liceret, nec valeret, utpote tertio injuriosum, quamvis alias Deo, aut piæ causæ dare talem rem sit perfectius, quam dare homini. Aliud autem est in votis, seu promissionibus Deo factis, utpote in quibus Deus ipse solus promissarius est, qui utique remittit, vel remittere censetur votum minus perfectum, si loco ipsius perfectius præstetur, cap. *Pervenit* 3, De jurejurando. Ratio autem potissima curliceat religionem ingredi et profiteri cum præjudicio sponsæ, non est quia religio est status perfectior, sed quia a jure sic concessum est, arg. Extravag. Joan. XXII, *Antique concertationi unice de voto et voti redemptione*; ubi quamvis ordines sacri constituent statum perfectionem, tamen cautum habetur, quod per ordines sacros matrimonium ratum non dirimatur, uti per professionem religiosam, addita hac ratione: « Cum nec jure divino, nec per sacros canones reperiamus hoc statutum. »

(91. Conveniunt tamen doctores omnes, quod per simile votum dissolvantur illico sponsalia ex parte non voventis seu remanentis in sæculo, quia hoc ipso, quod quis licite vovet assumere statum repugnantem matrimonio, censetur renuntiare sponsalibus, et juri sibi ex ipsis acquisito, adeoque partem alteram relinquere liberam, ut cui vult, nubat; licet etiam possit, si velit, expectare effectuationem professionis, et ea non effectuatam, compartem suam ad matrimonium urgere per dicta *supra* num. 82 et 83.

(92. Quoad votum suscipiendi sacros ordines, ipsum solvere sponsalia ex parte utriusque tenent Sotus, *De justitia*, lib. v, q. 1, art. 3; Henriquez, lib. XI, cap. 14, num. 3; Bonacina, q. 1, *De matrimonio*, p. 5, n. 20; Dicastill., disp. 478; Gobat, *loc. cit.*, num. 319, et alii quicumque tenentes, quod post contracta sponsalia possint suscipi sacri ordines. Et ratio istorum est quia sponsalibus videtur inesse hæc tacita conditio seu exceptio: « Nisi voluero ad statum perfectionem transire, » qualis revera est status clericalis respectu status conjugalis, adeoque, etc. Sanchez autem lib. 1, disp., 47, num. 5; Coninch., disp. 23, dub. 3, num. 25; Casiro-